



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Satyrvs C. 17. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

peremisse, & peremptum ab eodem fuisse; omnes denique scelerum socios aut mortuos illico esse, aut diu, hoc est misere, vixisse. Illud omnino memorabile, odium, quo infandos amores persequabatur L A M B E R T V S, ab animo etiam in corpus demortui transfusse, & cum passim exanimi oscula ferret vulgus, arcanâ vi solas ab his pellices exclusas esse. Atq; huius odii tantis sancti hæredem te hodie L A M B E R T V S vult, Mariane. Ex *Sur. & Graf.*

S. SATYRVS C. 17. Septembru.

Ambrosium in SATYRO vides. Nam frater hic illius fuit, non virtute modò sed vultu quoque & habitu corporis tam germanus, ut familiarium etiam oculos falleret. Et nesciissent hi sapius, quemnam ex duobus alloquerentur, nisi amor & vitæ morumque similitudo adeoque animorum consensus unum jam pridem ex geminis fecissent. Erat porrò in SATYRO ea animi simplicitas, ut columbam; ea prudentia, ut serpentem; virtutum fragrantia tanta & copia, ut hortum iure dixisset. His ille præfidiis instructus rem fratris domesticam ira administrabat, ut pietas familiam duceret. Eripi sibi oculos credebat Ambrosius, cum ex oculis SATYRVS abiret. Abibat tamen, cum negotia id exigebant.

bant. Et ecce navim conscendit SATY-  
RVS, sed non sine armamentis. E collo  
Angelorum panem suspendit. Mox  
venti insurgunt & fluctus navim expu-  
gnant. At SATYRO naufrago non  
commeatus, non vela, remi, malus,  
non anchora deest, omnia hæc adsunt  
in SS. Eucharistiâ. Illo succollante,  
quem collo ipse ferebat, emergit, &  
Anathema templo ipsum Servatorem  
suum gratus donat. Credidit in portu  
se esse; & fuit, non tunc quidem, sed  
paulò post, cum beatâ morte defunctus  
est. Verùm tunc naufragum Ambro-  
sium lacrimis vidisses, *Ex ipso D.  
Ambros.*

## S. HILDEGARDIS V.

17. Septembris.

Nescio quid de HILDEGAR-  
DE sentiendum, mundumne de-  
seruerit, an potiùs nunquam fuerit in  
mundo; quippe IIX. annorum virgini-  
cula inter virgines sacras adlecta. Cæ-  
lestia ab ipsis cunis videre habuit, nu-  
tuque hæc prodidit, quando sermone  
non potuit. Literas, quas nunquam di-  
dicit, scripsit tamen, easque non suâ  
linguâ: atque ut cantaturam scires o-  
lim, quod canere alii desperabunt, car-  
men, jam tunc absque doctore scitissi-  
mè modulabatur. Vatum etiam sacro-  
rum oracula fideique nostræ volumina  
leg-

K k 3